

Gottfried Voigt Martinus Hoffmeisterus

In Serenissimi Principis Meclenburgici Illustri Ad Nebelam Athenaeo, De Terriculis, Mortis Prodromis

Rostochii: Kilius, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740898760>


Druck Freier  Zugang




RU theol. Oct. 1671

Veigt, Gottfried

Hoffmeister, Martin.





TREMENDO PRÆSENTE
NUMINE!



IN
SERENISSIMI PRINCIPIS
MECLENBURGICI
ILLUSTRI AD NEBELAM
ATHENÆO,

42

DE
TERRICULIS,
MORTIS PRO-
DROMIS,
SUB PRÆSIDIO

GOTHOFRIDI VOIGTI,


PHILOS. LIBQ. ART. M. EJUS-
DEMQ; ATHENÆI RECTORIS,

A. D. OCTOBR. A. C. 1671.

DISPUTABIT

MARTINUS HOFFMEISTERUS,
NEO-TREPT. POMERANUS

In Auditorio Majori, horis Martini



ROSTOCHII

Typis KILIAN



Mk



VIRIS

*Plurimum Reverendis, Nobilissimis,
Consultissimo, Excellentissimis, Amplissi-
mis, Clarissimis,*

DN. MICHAELI SIRICIO,
SS. Theol. Doctori & Prof. olim in
Academ. Giessenâ longè Celeberrimo,
nunc Sereniss. Principis Megapol. à Con-
cionibus, & Consiliis sacris &c.

**DN. LAURENTIO WAL-
FELDIO, J. U. Doctori & supremæ
Gustroviensis Curiaæ Advocato
felicissimo :**

**DN. MARTINO Krohnen/
Ecclesiaæ Neo-Treptoviensis Pa-
stori vigilantissimo :**

**Dominis Patronis ac Promotoribus
meis summo observantiæ cultu æter-
num prosequendis,**

*Has Studiorum meorum primitias
submisse dedico*

MARTINUS HOFFMEISTERUS,
Neo-Treptoviensis Pomeranus.



De
TERRICULIS, MORTIS
PRODROMIS,

QUÆSTIO:

Quænam terriculorum ejusmodi
caussa sit?

ΕΚΘΕΣΙΣ

§. I.

Initio Distinguendum inter *terrículum*
generatim & *speciatim* sic dictum. Illo sen-
su terriculum est, quicquid terrorem
adfert, quacunq; etiam id fiat ratione.
atque ita accipitur ista vox apud *Livium*
lib. 4. Dec. 4. & alibi. Sed nos hoc loco il-
lud præcipuè attendimus, quod mortem
quorundam hominum præcedere, & stre-
pitu quodam, sono aut tumultu indicare
vulgò putatur.

§. II. Alii enim dum morbo lethali
decumbunt, deambulantiem quempiam
per domum audiunt; alii fores vel fenestras
aperiri & claudi: alii ascendere aliquid per
scalas ac per domum vagari: alii decidere

A 2

grave

grave quoddam lignum ferrumve: alii mi-
liceri ac confundi omnia, sibi persuadent.
Vis exempla & adi *Schottum*, melioris sci-
entiae, quam religionis auctorem, qui lib.
VI. *Phys. Curios.* cap. VI. p. 763. nonnulla
suppeditabit. sic enim ille: *Non multis ab-
hinc annis magnus quidam Princeps cum mor-
bo lethali decumberet, sonum supra cubiculi ta-
bulatum seu fornicem inaudit quasi ponderis
ingentis in tabulatum decidentis. Cum soni cau-
sam ab adstantibus exquirens, nihil à quoquam
auditum intellexisset; actum igitur de vita me-
a est, reposuit, & animo forti atque quieto non
diu post adventantem mortem excepit. Post-
ea: annus, inquit, vix effluxit, cum è societate
nostra sacerdos vir decrepitus, & nullo præter
senectutem morbo afflictus, sedens in cubiculo
audit ad ostium non semel, sed post interpolatas
vices, iterùm ac tertio pulsus; at cum nusquam
auctorem deprehendisset, intellexit ad vitam
se vocari alteram: paravit ergo se, & pro pio-
rum more Sacramentis Ecclesie munitus, ex hac
vita intra dies paucos migravit. Ludovicus
Lavaterus, lib. de Spectris p. I. cap. 17. scri-
bit, se Paroecum quendam nosse, qui gras-
sante peste prævidere potuerit mortem
eorum, qui infecti lue ista fuerant. Noctu
enim, inquit, supra suum lectum sonitum au-
divit, ac si quis saccum frumento plenum ex bu-
meris*

meris super tabulatum deponeret. Hec audiens dicebat: iterum quidam mihi valedicit. Idem refert, in quibusdam cœnobiis, imminente alicujus fato, strepitum audiri instar arculariorum, loculum parantium. Et in nonnullis pagis (verba ipsius Lavateri sunt) cum aliquis moriturus est, sub vesperam, vel noctu in cœmeteriis aliquando audiuntur, qui palis sepulchrum effodiunt: postero die non aliter effoditur, quàm antea quidam audierant. Aliquando noctu, lucente lunâ visi sunt, qui funus pro more gentis cum pompâ deducerent, aut ante ædes consisterent, ac si quis efferendus esset. Multi suam imaginem se putant videre, vel, ut dicunt, suam animam. Detinentur vincti in carcere, de quibus sumendum est supplicium: noctu, in arcibus, auditur magnus tumultus, ac si qui carcerem effraturi essent & liberaturi captivos, accurrentes neminem vident vel audiunt amplius; captivi quoque nihil se audivisse affirmant.

§. III. Ergo non ita tantum audiunt ejusmodi ominosum strepitum, quorum res agitur; sed circumstantes quoque, quin & ii qui longè absunt, ut Cardanus docet lib. XV. Variet. cap. 84. ubi non rarò sonos ac strepitus auditos fuisse commemorat eo tempore, quo absentes procul amici animam egerunt.

A 3

§. IV. Eo-

§. IV. Excludimus verò hinc eos *mortis prodromos*, qui habitu vel *senis*, vel *pueri*, & simili mortem quibusdam annunciarunt, quod CHRISTIANO III. *Regi Dania*, superiori seculo, contrigisse legimus. Ad hunc enim quidam habitu viri accessit, dicens: *Christian seygetrost / du wirst sterben / und mit dem neuen Jahr ein neu Leben anfangen.* Postero die, inter aulicorum cantiones vitam finivit, his Davidis verbis Psalm. CIII. 13. *Ut miseretur pater filiorum, sic miseretur Jehova timentium ipsum.* Vid. *Titii Loci Theol. Hist. art. 36. p. 1640.* Alia id genus exempla apud Historicos reperiri, nullum est dubium. sed ea huc non pertinent. Nam de iis tantum quarimus *terruculis*, quæ *incondito* quodam *sono*, *strepitu* aut *tumultu*, hominis portendere mortem, vulgo creduntur.

§. V. Atq; hæc ut sæpè *vera* esse, concedimus: ita fuci interdum aliquid subesse, negare non possumus. hoc loco de utrisq; disputamus & de *veris*, & de *imaginariis*.

§. VI. *Vera* dico terricula, non ratione *finis* seu *significationis*, quâ mortis perhibentur esse indicia; sed ratione *forma*, seu ipsius *soni*, qui interdum *realis* est.

§. VII. *Causa* verò nomen in eminentiori accipimus significatu, quatenus

naß

καὶ ἐξοχὴν *Efficienti* tribuitur. Nam & Ma-
teriam & Formam, & Finem causæ nomine
quandoq; venire, nemo nescit, nisi litera-
rum prorsus rudis atq; expers. sed de his
alio agemus loco.

§. VIII. Sed & ipsa *Causa efficiens* non
unig generis est. Alia enim *per se*, alia *per ac-*
cidens est. Utraq; hic meretur locum.

§. IX. Deinde alia *Prima* est, alia *secun-*
da. Prima *DEUS* est, qui sine dubio concu-
rrit ad diaboli quoq; actiones, quatenus sunt
actiones; non quatenus ἀνεξίκα. De *secunda*
autem præcipuè quæstio intelligitur.

§. X. Et hæc vel *principalis* est, vel
instrumentalis. Illa dirigit, hæc dirigitur: illa
dominatur quasi, hæc servit. utriq; locus
in hæc quæstione erit.

§. XI. Status igitur controversiæ
hic est: Quæ sit *causæ efficiens se-*
cunda cum *per se*, tum *per accidens*,
cùm *principalis*, tum *instrumentalis*
terrificorum, quæ mortem quorun-
dam hominum sono, strepitu ac tu-
multu quodam indicare vulgò pu-
tantur, sive strepitus isti ac tumultus
veri sint sive imaginarii? Ad hanc
quæstionem distinctè jam respondebimus.
fit itaq;

Θ Ε Σ Ι Σ Ι.

Caussa terriculorum, mortem quorundam hominum antecedentium, interdum imaginatio seu phantasia est.

Κ Α Τ Α Θ Ε Σ Ι Σ.

Ut enim *imaginatio visum, gustum, olfactum & tactum* vitiat, quod *Delrio* in *Disquis. Mag. lib. II. argumentis*, testimoniis & exemplis planum facit: ita causam non video, cur non *auditui* etiam vitium inferre possit. & quod inferat quoq; exempla docent benè multa. *Celius Rhodig. lib. XVII. cap. 2. ex Athenaeo lib. II cap. 3.* refert, *Agrigenti* quosdam adolescentes vino obrutos, visos sibi audire maris fluctuantis murmur, & resonantia fluctu litora. *Plutarchus* in libello de sera Numinis vindictâ, mira de *Besso* quodâ narrat. Is cum patrem interfecisset, delituit longo tempore, metu interim, ne deprehenderetur, agitatus. Tandem cum aliquando coenatum iret, nidum hirundinum ex ædibus hastâ deturbavit: cumq; simul coenantes hanc ejus dementiam detestarentur: nonne, respondit, jam diu falsum testimonium ad-

ver-

versum me ferunt, clamitantes, me patrem interfecisse?

Nec verò in metu, aut ebrietate tantum, sed morbis etiam, aliisque affectibus turbatur phantasia. exemplo sunt febricitantes, phrenetici, melancholiâ oppressi, amoris æstu perciti & alii, qui mira sæpe se audire atque videre credunt, eaque sanioribus etiam ferè persvadent. Sic

--- + --- *Fuit haud ignobilis Argis,
qui se credebat viros audire Tragedos,*

Horatius lib. II. Epist. 2. scribit. *Theophilus* Medicus cætera prudens, opinabatur cum febreret, prope lectulum tibicines & cornicines stare, & continuè auribus ejus cantum insonare: idque jam sanus accidisse sibi pertinaciter contendebat. Vid. *Galen.* lib. de differ. Symptom. Atque ejusmodi exemplorum pleni sunt Medicorum libri, ad quos B. L. ablegamus.

Accedunt somnia vigilantium, quæ homines profundis meditationibus immerfos ita occupant, ut sensus communis & externus, officii sui planè oblitus, imaginem à phantasiâ efformatam pro vero objecto accipiant, adeoque putent, se videre, se audire, quod tamen nusquam est. Huc quidam trahunt illud *Calpurniæ*, quæ imagi-

A s

nata

nata est collabi fastigium dom⁹, ap. *Sueton.*
in *Cæs.* cap. 81. num satis bene, alii judicent.
Atq; hæc de *terrlicorum imaginariorum*
causâ.

Θ Ε Σ Ι Σ ΙΙ.

**Terrlicorum verorum causâ
per se, eaq; Principalis, est
Diabolus.**

Κ Α Τ Α Θ Ε Σ Ι Σ.

Id ut statuat varia me adducunt. Et pri-
mò quidem *posse* diabolum id præstare, tam
certum esse arbitror, quàm quod certissi-
mũ. magna enim ejus vis & potentia est, quâ
fit, ut permittente Deo, *per corpora penetra-*
re, eaq; movere, asumere & quibuslibet usi-
bus accommodare possit. *Illud* ex naturâ
Spiritus demonstratur, cui omnia corpora,
etiam solidissima, sunt pervia. quippe o-
mnis quantitatis expers est, neque longus,
neque latus, neque profundus. *Istud* patet
partim ex *tempestatum excitatione*, de quâ
vid: *Olaus M.* lib. I. cap. i. & lib: III, 18. partim
ex *statuarum aliarumque rerum inanimata-*
rum commotione, quod *Philostratus* confir-
mat in vita Apollonii; partim ex *sagarum*
aliorumq; ad remotissima loca transportatione,
quâ de nos nonnulla tradidimus in *Delicis*
Pbj-

Physicis cap. VIII. p. 218. Conf. *Alphonsus Ca-*
stro lib. I. de hæret. punit: cap. 16. & *Silvest:*
lib. II. de Strigib; *Sprenger:* in mall. malef.
Spina q. de Strig. cap: 5. & 12. *Delrio* Comm.
in *Medeam* p. 81. Sed de Simone Mago quod
addunt alii ex *Cleric. Rom.* vel quisquis au-
ctor l. VI. Const. Apost. *Hegeſippo* lib. III.
Cyrillo Hieroſ: Catech. Myſtagog. lib. VI. & c.
parùm probatur *Hornio* Notis in Sulpiti Se-
ver. Sacr. Hiſt. lib. II. p. 389. & in Hiſt. Eccleſ.
p. 46. partim ex argumentis aliis, quæ vide-
lis apud *Delrio* diſquiſ. Mag: Tom: I. &
Schottum *Phyſ: Curioſ.* lib: I. cap. 19. Hoc
autem demonum cum ſagis aliisq; congreſſus
oſtendit, de quo vid. *Annan.* lib. 4. de Nat.
Dæmon. *Sprenger.* l. a. p. I. q. 4. & p. II. q. 1. c.
4. & q. 2. c. 7. *Nider.* in formicar. lib. V. *Spina*
de ſtrigib. *Delrio* l. 2. q. 15. p. 332. *Torreblan-*
ca lib. II. cap. 30. pertinent huc etiam *infan-*
tes ſuppoſititii, quorum naturam explicui-
mus in *Delic. Phyſ.* cap. VIII. p. 261. & *ſpectra*,
de quibus conf. *Lavaterus* de ſpectr. part. 1.
Camerar. hor ſubſeciv. Cent. II. c. 15. 16.
ſeq. & cent. I. cap. 72. 73. 74. *Majol.* in dieb.
Canic. tom. VII. Colloq. III. p. 144. 145.
Schottus lib. II. *Phyſ. Curioſ.* p. 202. *Alex. ab*
Alex: Gen. dier: lib: II. c. 19.

Deinde noctu ferè & meridie ſtrepitus
iſti ac tumultus audiuntur, quo tem-

poſ

pore pleraque spectra & terricula dæ-
monum robur habere solent. De *meri-
die* loquitur *Origenes*, si tamen au-
ctor est, comm. in *Job.* verba hæc sunt: *Sic-
ut in noctis tenebris, sic similitur in medio me-
ridie plures demonum tentationes se demon-
strant, quàm cæteris temporibus.* Idem docent
historiæ. Sic in *Russiâ Orientali* sub meri-
diem, messis tempore, solitus quondam
erat obambulare rura dæmon, habitu
viduæ lugentis, operariisque nisi præte-
nus viso spectro in terram proni eum ve-
nerarentur, brachia & crura frangebatur,
Petr. Gregor: de *Rep.* lib. 12. c. 20. Vid. *Det-
riio* *Disq:* *Mag:* l. a. p. 578. seq: Hinc hodie-
num meridies creditur infaustus, Et tale
quoque olim habebatur tempus *noctur-
num*, quo inferos, furias, & hujusmodi
terricula alia inter homines vagari cense-
bant, lucescente verò die, robur omne
amittere & hominum sese conspectui sub-
trahere. unde ap. *Virgil:* lib: V. *Anchisæ*
umbra solem oriri caussatur, ut *Æneam*
dimittat:

Et me serpens equis Oriens afflavit anhelis.
& sub auroram umbra *Theodosii* ap. *Claudianum*

Dixit, & afflatus vicino sole refugit.
Sic etiam audio *Æneam* ap. *Virgil.* lib. IV.

Me

Me Patris Anchise quoties humentibus um-
bris,

Nox operit terras, quoties astra ignea sur-
gunt,

Admonet insomnis & turbida terret imago.

Et Tiresiam ap. Horat. lib. II. sat. 5. --- sed me
Imperiosa trahit Proserpina, vive, valeq.

Ea quippe non sinebat inferni leges ab um-
bris, quibus præerat, violari. meminit hu-
jus etiam Propertius lib: IV. eleg. 7. de um-
bris agens:

Nocte vaga ferimur, nox clausas liberat um-
bras,

Errat & abjecta Cerberus ipse serâ.

Luce jubent leges Letheæ ad stagna reverti:

Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

addam adhuc unum, quod ap. Papinium
legi Thebaid: 2. de umbrâ Laii:

Dixit, & abscedens, etenim jam pallida,
turbant

Sidera lucis equi.

Possunt itaque dæmones istiusmodi exci-
tare strepitum, ut excircumstantiis rei &
personæ probatum modò est: nunc quæ-
rendum etiam, an velint? velle autem eos
partim ex veteri in genus hominum odio,
partim ex spe commodorum colligimus. Illud
ad ea omnia impellit Satanam, quæ homi-
nibus

nibus damno aut terrori esse possunt. Ita enim sunt hostes, hæ illorum molitiones, hæ machinæ, in quibus noctes diesque omnes suas collocant cogitationes. Nec exiguum inde in Satanam redundat lucrum, nam ejusmodi strepitu ac tumultu multis, imprimis simplicioribus fenestram aperit ad *superstitionem*, ut cogitent de ratione, quâ averti possint illa terricula & pericula, quin & ipsa imminencia fata. Exemplum ipse novi, sed prodere jam nolo, ne spargendo talia serere videar superstitiones. Num quid autem gratius accidere dæmoni potest, quàm in superstitionem conjicere homines, quos in verum Deum credere tantum oportebat. Tum prudentioribus etiam serè persvasit, terricula illa, *infallibilia imminentis mortis esse indicia*, quod tamen, si diaboli scientiam, terminumq; fatalem respiciamus, à veritate omnino alienum videtur. Non possum omittere, quod *Casmannus Schol. Philos. p. 261.* hanc in rem scribit: *Multa sunt causa, inquit, quæ illos (sc. dæmones) ut hic operas suas locare velint, impellunt, quarum duas tantummodo, sepositis aliis, recensebimus. Libidini primum sua quâdam ratione sic satisfaciunt. Cum enim hominibus ita illudere, & molestos se esse*

se esse percipiant, libenter quas habere possunt ipsos molestandi occasiones accipiunt. Quocirca & hanc, ubi non exiguus terror incutitur, haud abjiciunt. Deinde videntur inde aliquod sperare lucrum. Neque enim ipsis tam hie propositum est, ut mortem futuram vel alia denuncient, quam ut homines eò perducant, ut divinum quoddam ibi numen credant, quod horum tumultuum causa existat; cui ob id honorem aliquem tribuant, cum animarum suarum maximo naufragio.

Et quanquam non negemus, impediri interdum diaboli voluntatem à DEO, fieri tamen illud *semper*, affirmare non possumus, cum audiantur saepe similes tumultus, quorum causa praeter demonem non potest esse alia. *Lavaterus* lib. de Spectris p. I. cap. 16. scribit, evulsam saepe è cardinibus januam, omniaq; in domo turbata & suo mota loco, auditum strepitum instar viectorum, vasa vinaria religantium, aliorumque opificum res suas agentium: cum tamen constiterit, omnes ab opere cessasse. Vid. *Schottus* l. a. cæterique auctores, qui spectrorum historiã memoriã prodidère, ubi plura invenire licet, huc pertinentia.

Ex his itaque sic ratiocinamur: Quicumque aliquid potest, & vult, nec
impej

mpeditur, ille etiam id facit: atqui
diabolus potest excitare terricula
illa, vult quoque, nec impeditur sem-
per; Ergo etiam ea facit. Minor ex
iis patet, quæ jam ante dicta sunt. Majo-
rem ex naturâ liberè agentium, deprom-
psit *Aristoteles* I. Rhet. cap. X. & II. Rhet. cap.
XIX. n. 24. Nunc, quibus *instrumentis* utat-
ur demon, videndum est.

Θ Ε Σ Ι Σ Ι Ι Ι.

Causa Instrumentalis terriculorum
verorum, est facultas motrix dæ-
monis, qui interdum in corpo-
re assumpto agit, interdum
sine eo.

Κ Α Τ Α Θ Ε Σ Ι Σ.

Hic inter se diversi sunt Philosophi.
Alii enim docent, angelos movere corpora
per *voluntatem suam*, ut *Soncinas* 12. Me-
taph: q. 35. *Durand:* 1. d. 45. q. 2. *Capreol:* 2. d.
7. q. 2. art. 1. *Argent.* d. 8. q. 1. art. 1. & c. Alii
facultatem quandam *motricem* angelis tri-
buunt, ut *Svarez:* Metaph: disp. 35. s. 6. n.
22. 23. art. 7. ad 12. *Colleg: Conimbr:* 2. de cœl:
c. 5. q. 7. & de anim. separ. disp: 6. art. 3. ad
fin.

424
fin. v. *Scheibl*. Illorum ratio hæc est, quia in
angelis datur solum intellectus & voluntas,
intellectus autem non est, movere; Er-
go voluntatis. Horum autem argu-
menta *Scheibler*. *Metaph: lib: II. cap.*
4. punct: II. qv. i. p. 221. recenset. Ver-
ba ita habent: I. quia etiam divinum vel-
le, ut sic & præcisè conceptum non operatur ad
extra, sed modò intelligi operatur ad extra, cum
Deus per voluntatem suam applicat potentiam,
quam habet ad sic agendum. II. Voluntatis
actus, ut sic, est actus immanens, nec est ope-
rativus extra se: nec apparet ratio, cur id de-
beat tribui voluntati angelicæ, cum non conve-
niat voluntati nostræ. III. Anima nostra pro-
prium suum corpus non potest movere per sim-
plicem volitionem, sed facit id juxta voluntas-
tem suam, applicando vim motricem. Ergo
multò magis ista vis requiritur ad movendum
corpus alienum. IV. Si voluntas angelicæ es-
set sufficiens ad movenda corpora, tum id esset
inde, quia movet angelus per voluntatem suam.
At hoc in primis est insufficientis. Nam etiam
per voluntatem intellectus angelicus vult intel-
ligere. Et tamen ibi non est identitas intellectus
& voluntatis, ut admittitur. Unde sicut intel-
lectus intelligit per voluntatem, quatenus scil.
voluntas movet potentiam intelligendi (à se
B *distin-*

distinctam) ad opus vel actum suum, hoc est, intellectiōnem, ita etiam movet angelus per voluntatem suam, quatenus scilicet voluntas excitat vel applicat virtutem motivam (à se distinctam) ad actum suum, hoc est, motionem. Atque hæc sententia priori præferenda videtur.

Excitat autem diabolus strepitum ac tumultum istum non uno semper modo. Interdum enim *in assumpto corpore* id præstat, interdum *sine eo*. *Corpus assumptum* vel *cadaveris* cujusdam est, vel *ex effluviis* conflatum. Hoc ratione, illud experientiâ nititur. Quid autem sit *cadaver*, & unde dicatur, explicui in *Delic. Phys.* Cap. I. sect. II. art. 1. §. 4. p. 35. sed ita, ut instituti mei tum ferebat ratio. Quod utinam intellexisset Is, qui meam nuper explicationem temerè notare ausus est. abstinuisset, credo, illis observationibus, quas postea prodidit, si seipsum potius observare voluisset. Nam quod dicit, *non præcisè ex voce cadaveris inferri, debere intelligi corpus violenter exanimatum*; in eo sanè frustra est, nusquam enim in illo capite ejusmodi illatio reperitur. Sed addit rationem, *cùm non minus illud possit dici cadaver, quod ex naturali morte tale est*. quasi verò hoc negaverim

rim unquam. Bene tamen in præfenti contro-
verſia, ſc. de ſtillicidio ſanguinis ex interem-
ti hominis cadavere, præſente occiſore,)
corpus violenter exanimatum intelligi, ſcribit.
Rectè. hunc enim ſenſum mea præ ſe ferunt
verba, quem laudare ipſe nunc cogitur Ad-
verſarius, alterâ manu lapidem, alterâ pa-
nem oſtentans. Sed pergit, *latius ad huc*
poſſe ſumi vocem cadaveris, & quidem in præ-
ſenti materia, quàm pro corpore violenter ex-
animato & nonnullis ſanguinis reliquiis prædi-
to. Nam v. g. ſi quis fauces alicui comprefſe-
rit laqueo, vel alio modo, tunc rectè corpus il-
lud exanimatum poteſt vocari cadaver. Nempe
ſi quis punctim aliquem tranſfixerit, ut propter
congreſſionem carnis, vel coagulationem ſan-
guinis, vel aliam ob cauſam nihil cruoris efflu-
at, certe cadaver erit dicendum illud corpus.
Nec alio mihi nomine vocatur, quanquam
in allegato loco diſertè non habeatur. Dixi
quidem, per cadaver intelligi corpus ex-
animatum, ſed nonnullis ſanguinis reli-
quiis præditum. ſed non addidi, illud
ſolum intelligi, quod tantùm reliquiis qui-
busdam ſanguinis eſt præditum. Unius po-
ſitio, non eſt alterius excluſio. quod verò
ad ea præcipuè cadavera reſpexerim, quæ
non totam ſanguinis maſſam, ſed reliquias

quasdam possident, id ægre ferre non potest Observationum Auctor, si meminerit, à potiori semper faciendam denominationem esse. Plura enim in istâ de fluxu sanguinis controversiâ, occurrere exempla cadaverum reliquias tantùm sanguinis continentium, quàm eorum, quæ univèrsum sanguinem in se habent, ex allegatis à me sect. I. art. I. historiis discere potuisset. Hoc verò novum est, quod observat quarto loco, scilicet *minus accuratè dici cadaver corpus exanime & exsanguè, cum cadaver etiam detur, quod non sit ex sanguè.* Scilicet hoc nemo ante Bonum istum virum observavit unquam. Tu, B. L. perpende & judicam, num similis fortè observatiõ ex his meis verbis colligi possit: *Cadaver ALIAS quidem corpus exanime & exsanguè vocatur; sed notandum, quod illud NON OMNI PRORSUS SANGUINE SEMPER sit destitutum.* Si potest, observata illa ἀκρωτολογία jam ante Differentientis Disputationem est. Falsa autem illa vocis Exsanguis explicatiõ est, quam mihi affingit idem Auctor: *Exsanguè, hoc est, ut tu explicas, quod nonnullis sanguinis reliquiis adhuc est præditum,* ubi enim ita explicui? Si vir es, ostende locum, & Phyllida solus habeto, ego vero tibi ostendam.

con-

contrarium. Scripsi: Tò cadaver à me non accipi strictè pro corpore penitus exsanguis; sed latè pro corpore violenter quidem exanimato, sed nonnullis sanguinis particulis adhuc prædito. unde ita argumentor: Quicumque corpori exsanguis opponit id, quod sanguinis reliquiis est præditum, ille non ita explicat corpus exsanguis, ut dicat, esse illud, quod nonnullis sanguinis reliquiis est præditum: atqui ego corpori exsanguis opposui id &c. Ergo. Ultimum hoc est: quod si præter hunc casum, usum loquendi communem attendere velis, certè cadaver non erit illud tantùm corpus animalis, quod violenter est extinctum, sed omne id, quod extinctum est quomocunq;, neque illud, quod est exsanguis tantùm, sed etiam illud, quod nihil sanguinis amisit. Atque hoc ipsum etiam ego sentio, nec usquam me dixisse memini contrarium. Sed hæc ἐν τῷ πρώτῳ. Redimus ad terricula.

Θ Ε Σ Ι Σ Ι V.

Causa per accidens terriculorum potest esse varia.

Κ Α Τ Α Θ Ε Σ Ι Σ.

Oriri enim possunt à felibus, à muribus

B 3

iisque

iisque *majoribus* potissimum, à *canibus* & aliis animalibus domesticis, à *ventorum impetu*, & vel sexcentis modis aliis. Inprimis verò *fissura* vel *ruptura* corporum causam terriculis præbere potest. Quod in ædibus B. mei Soceri, Eccles. Meklenburgic. Ephori præclarè meriti, paulo ante ultima B. Soceris fata, evenisse memini. Cùm enim omnes accumberemus mensæ, auditus de repente ingens fragor est, qualis esse fere solet machinæ bellicæ. Invaserat omnes timor, ut fieri amat, ubi rerum causas ignoras, & aliquid adversi metuis. metus enim malus rerum interpret est. elapsis aliquot diebus, tale quid iterum accidit, tum verò B. meus Socer, accuratè causam scrutari, tandemque, remoto mantili, deprehendere mensam ruptam, eamque rupturam diversis factam esse temporibus. Idem sibi paucis abhinc annis accidisse Wismaricæ, vir quidam fide dignissimus, mihi affirmavit. ut adeò de veritate hujus thesios nullus dubitem. Quare his ommissis ad *ἀντίθεον* me confero.

ANTIΘΕΙΣ Ι

Causa strepitus & tumultus ejus-
modi DEUS est.

ΑΥΤΙΣ

Α Τ Σ Ι Σ.

Hoc refutatur canone philosopho-
rum: *Causa prima nil agit sine secunda.* DE-
US est causa prima; Ergo. Conf. *Ἐκθ.*

Α Ν Τ Ι Θ Ε Σ Ι Σ Ι Ι.

Causa terriculorum sunt angeli
boni.

Α Τ Σ Ι Σ.

Verum 1. si finis terriculorum illorum
est, ut mortis admoneantur homines,
causam non video, cur tanto opus sit stre-
pitu, cum faciliori negotio idem efficere
possint angeli. 2. Quanquam, ut dictum su-
pra est, infallibile inde instantis mortis ar-
gumentum peti non potest, cum saepe mors
non sequatur. 3. Et licet demus, terricula
ista certissima mortis esse signa, nondum
tamen nobis constat de eo, cujus fata por-
tenduntur. 4. Quid? quod in iis etiam lo-
cis, strepitus saepe sint auditi, ubi non fue-
runt ii, quorum res agi putabatur. 5. Imò
nonnunquam eo ipso temporis puncto
contigerunt, quo animam exhalarent
aegroti. 6. Nec piorum tantum, sed scele-
ratissimorum etiam fata antecedunt. 7.

Taceo, quod nulla ratio suppetat, cur
DEUS angelis bonis id negotii det. 8. Mi-
rum etiam esset, quod, cum tot ac tam il-
lustria bonorum angelorum in sacris literis
describantur officia, hujus tamen adeò uti-
lis, frequentis ac usitati nulla fieret men-
tio. 9. Denique cum levitate etiam qua-
dam tumultus isti sunt conjuncti; ac pro-
inde angelis bonis vindicari nequeunt. Vid:
Casmann. l. a. p. 268.

Et quamvis *Schottus* l. a. lib. VI. p. 767.
regerat, effectus dictorum sonorum saepe
esse optimos, præparationem puta ad beatã
mortem; nondum tamen inde sequitur,
angelos bonos esse auctores tumultuum.
Nam & persecutionum effectus erat opti-
mus, incrementum scil. Ecclesiæ, marty-
rumq; ad beatum exitum præparatio, neq;
tamen persecutiones angelos bonos habe-
bant auctores. Itaque præparatio illa
strepitum sequitur *per accidens*. & iste, qui
audito tali sono ad mortem se præparat,
jam animo suo imbibit falsam opinionem,
existimans, angelos esse istius rei caussam,
mortemque certò secuturam.

ANTI-

ANTIΘΕΣΙΣ III.

Caussa terriculorum sunt homunculi inter homines & bestias
medii.

ΑΥΣΙΣ.

Tales confinxit olim *Theophr. Paracelsus* lib: Meteor: cap. 4. & de Occultâ Philosoph. tr. V. von den Leuten oder irdischen Geistern unter der Erden. Summa ejus doctrinæ hæc fere est. Deum præter homines, *Adami* posteros, alia quatuor hominum genera carne & ossibus ac ratione prædita creasse, in quibus singulis elementis habitacula assignasse, in quibus etiam singuli suam haberent reipubl: & ex negotiatione ac laboribus victum ac amicum sibi compararent. & eos quidem homines, qui in terra visceribus habitarent, vocari *Pigmeos* & *Gnomos*: qui in aquis, *Nymphas* & *Undinas*: qui in aëre, *Sylvas* & *Melusinas*: qui in igne deniq; *Vulcanos* & *Salamandras*. Sed hæc omnia sunt mera somnia, quæ Scriptura ignorat, Natura impugnat, sana ratio damnat, ut *Casman.* l. a. demonstrat. Videtur quidem *Paracelsus* quibusdam inniti fundamentis, præcipuè sequentibus; I. quia DEUS est infinitæ potentia & virtutis.

B 5

2. quia

2. quia homunciones illi sub sensus nostros cadunt, quod exemplis confirmatum it *Kornmann*, Templ. Nat. Histor. part. I. II. III. IV. 3. quia constant sanguine & partibus organicis. 4. quia vivunt vitalesq; operationes edunt, quales nos, tandemque etiam moriuntur, sed ex arenâ nectit funiculos. Nam in *primo* nulla consequentia est. plura quippe DEUS potest, quàm fecit. Nec in *secundo*, cum multa sub adspectum cadant, quæ tamen non nisi sensuum illusiones & præstigæ sunt. In *tertio* petitio principii est. neque enim Paracellus, neque alius ejusmodi homulum unquam dissecuit. Eadem in *quarto* etiam habetur. nisi fortè ægrotanti tali homuncioni medicinâ adhibuerit, vel mortuo exequias iverit Paracellus, eo tempore, quo à dæmone suo familiari abreptus, nescivit, ubi fuerit, aut quid egerit?

Fac tamen, homunculos istos esse, num propterea tumultuum horû causa erunt? Minimè. hominum enim mors, cujus judicium facere putantur terricula, ab iis præcognosci nequit, cum inferioris esse dicantur conditionis infirmiorisq; judicii & rationis, quàm homines ipsi. quod ergo homines non possunt, multò minus illi poterunt. Ad

*At nullâ in re alia occupantur, quàm in
scrutatione temperamentis hominis. Hic ve-
lim scire, quis hoc ipsis dederit negotii?
quis pensa inter eos partiatur? unde hæc
ipsorum ratio tibi innotuerit? quomodo
violentam quorundam mortem olfacere
potuerint? nam & hanc terricula anteces-
sisse compertum est.*

Sed demusetiam hoc adversæ parti,
homunciones istos mortem hominis præ-
videre. quid? possuntne etiam tantos exci-
tare strepitus, quantos sæpe audimus. au-
dimus asseres deferri, ligna aptari, raptari
instrumenta, clavos infigi. Ubi verò pro-
pius accesseris, nihil tale deprehendes. Si
paululum recesseris, mox instaurari tu-
multum videbis. quomodo autem tam
repente ea, quæ opus sunt, inveniunt,
densâ imprimis nocte? quomodo in con-
clavi se occultare poterunt, ut à nemine
deprehendantur visu? forsan in rimas &
antra murum se abdunt, hominum fugi-
entes adspectum? at major eorum quanti-
tas est, quàm rimarum antrorumque ca-
pacitas. Prætermitto alia, quæ hanc sen-
tentiam premunt, absurda.

ANTI.

ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ ΙV.

Caussa terriculorum sunt animæ
mortuorum.

Α Τ Σ Ι Σ.

Fabulosam *animarum apparitionem*, à Pontificiis, ut fidem suo facerent purgatorio, confictam, Nôstri Theologi jam pridem firmissimis refutarunt argumentis, quæ videri possunt ap. *Gerb. Conf. Cathol.* lib. I. Gen. p. 794. n. 20. *Balthaf. Meisn. de Purgator.* c. 8. p. 765. seq. *Dn. D. Job. Meisner. Disp. de Apparit. dæmon.* Witteb. anno 54. habitâ. Nos eorum serinia compilare nolumus, sed hoc tantùm addimus, nondum satis constare de animæ separatae natura, *an videl. ita sit comparata, ut alia movere possit corpora?* *Conimbricenses* quidem de anim. separ. *Disp. 6. art. 2. §.* & est nihilominus, & *Scheibler. Metaph. lib. II. cap. 5. art. 3. punct. 3. q. 3. p. 247.* id affirmant. negant autem *Thomas 1. part. q. 117. art. 4. & de malo q. 16. art. 10. Suarez in Metaph. Disp. 36. s. 7. n. 23. aliique.* Argumentamur itaq; Q. anima à corpore suo est separata, illa tumultus, mortis prodromos, excitare nequit; atquæ mortuorum animæ à corporibus

ribus

ribus suis sunt separatae; Ergo. Minor extra controversiam posita. Majorem probabo (1) quia mortuorum animae ad nos non redeunt, ut Theologi docent, (2) quia non omnes mortuorum animae possunt praecognoscere fatalem vitae terminum. (3) quia DEUS non utitur ministerio animarum, sed angelorum. (4) quia anima separata alia movere nequit corpora. Simile fere argumentum opposueram aliquando Bodino & Kornmanno, statuentibus, fluxum sanguinis è cadavere occisi ad praesentiam occisoris, moveri ab oberrantibus interfectorum animabus. Atque illud quidem ita habebat: *Q. anima à corpore suo est separata, illa per corpus amplius operari nequit: atqui anima interemti hominis à corpore suo est separata; Ergo.* Majorem probaveram ex contactu, qui necessarius est inter agens & patiens: Minorem ex ipsa mortis ratione, quae nihil aliud est, quam separatio animae à corpore. Hic verò quidam è numero Excellentium contra me insurgit, dicens, *Majorem duplicem admittere sensum, & intelligi posse vel de forma informante, vel de assistente, b. m. Q. anima à corpore suo est separata, illa per corpus amplius operari nequit, vel tanquam forma informans,*
vel tanq

vel tanquam assistens. Priori modo Majorẽ ve-
ram esse, dubitari tamen posse, num auctores
contrariae sententiae hanc vim motivam anima
vitalem & per modũ informativi principii in-
tellectam velint, in altero autem significato non
omnino firmam esse. Quid enim impediatur, in-
quit, si anima sibi relicta à corpore quoad in-
formationem, maneat alio modo praesens?
Neq; probari potest per negationem contactus.
Etenim Minor Prosylogismi posset negari. Prae-
sens in tali casu utique esset anima corpori per
contactum, qualis etiam ille sit. Quanquam
igitur non dicam, animam separatam esse prae-
sentem cadaveri per modum formae assistentis,
hoc tamen dico, negationem operationis per
corpus, quã principietur cruentatio, minus
consequenter inferri precisè ex separatione &
defectu informationis. Sed Resp. (1) me
non intelligere formam informantem, sed
assistentem, quanquam utraque locum in
propositione habere potest. Quaecunq; ue-
nim anima à corpore est separata, ea neq;
tanquam informans, neque tanquam assi-
stens forma per illud corpus, à quo est se-
parata, operari potest. (2) Falsum est, Ma-
jorem de assistente intellectam nõ omnino
firmam esse, quatenus καὶ ἀληθεῖαν, & non
καὶ ἀντιστοιχίαν tantum disputo. Nam anima
post

post mortem statim fertur in suum $\pi\bar{s}$; Ergo non potest esse forma assistens corporis. (3) sed finge etiam, animam separatam assistere corpori, nondum tamen inde sequitur, quod etiam moveat corpus. Vid. *Thomas & Suarez. l. a.*

Huic argumento addiderā aliud his serē verbis: *Omnis anima separata extra mundanam conversationem in certo suo $\pi\bar{s}$ existit, adeoque circa cadavera errare & cruentationem ciere nequit: atqui anima interempti hominis est separata; Ergo. Vid. Del. Phys: cap. I. lect. IV. Exam. V. p. 76.* Hic verò iterum Scepticus ille dubitare incipit, sed nulla ratione additā. *De veritate Majoris, inquit, quispiam meritò addubitare potest.* Verūm (1) dubitare sine ratione, temerarii hominis est, non Philosophi. (2) nec videndum, an quispiam forte possit dubitare de veritate alicujus rei; sed an debeat. (3) quanquam dubitatio de re aliquā non statim inferat falsitatem vel errorem. (4) Quid? quod de omni Syllogismo probabili dubitari possit. Ejus enim conclusio est languidè vera, sive opinio. opinio autem cum formidine partis oppositæ conjuncta est. (5) Et tale hoc meum argumentum erat. quod perpendere secum debuisset

isset Dissentiens. (6) ipsius etiam fuisset,
considerare, utrum κατ' ἀλήθειαν, an κατ'
ἐπιφροσιν contra adversarios disputem?
quod si fecisset, notas fortè illas, utpote
physices scientiam non redolentes, omisis-
set. In posterum verò solidiora mihi, pari
cum modestia, ab eodem promitto, veri-
tatemq; ipsi, æquè ac mihi, curæ sem-
per cordique fore, planè
confido.

S. D. G.



ΕΠΙΜΕΤΡΑ.


I.

Quæritur: *An Linteum aliquod, ex lino
vulgari contextum, ardere possit incensum,
sedita, ut ardore non deflagret?* Affirmatur.

II.

Quæritur: *An Instrumentum Magde-
burgicum Dn. Otthonis Götiken, vacuum esse
probet?* Negatur, contrarium enim potius
eo confirmatur.





contrarium. Scripsi
non accipi strictè pro
sanguis; sed latè pro co
dem exanimato, sed
particulis adhuc præ
mentor: Quicumque
opponit id, quod san
præditum, ille non ita
sanguis, ut dicat, esse
lis sanguinis reliquiis
ego corpori exsanguis
Ultimum hoc est: quod
usum loquendi commune
tè cadaver non erit illud
malis, quod violenter est
id, quod extinctum est qu
illud, quod est exsanguis
illud, quod nihil sanguinis
ipsum etiam ego sentie
dixisse memini contrari
quod. Redimus ad terri

⊙ E Z I

Caussa per acciden
potest esse

K A T A ⊙

Oriri enim possun

er à me
nitus ex
nter qui
sanguinis
ta argu
exsanguis
quibus est
rpus ex
nonnul
n: atqui
c. Ergo.
occafum,
velis, cer
us ani
sed omne
neque
etiam
que hoc
am me
ec en ter

orum

nuribus
iisque

